prosperrimum studiorum militarium successum exitumq;, et quæ animo tuo grata accidere possunt, animitus apprecatur. Ego verò apud Dominum patrem votis tuis nunquam deero. Hæc raptim, mi oculissime Roderice. Benè vale ac militabunam militiam, retinens fidem ac bonam conscientiam, ὡς τινες ἀπωσάμενοι περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, teste Apostolo. Bremæ 4. Calend. Septembris A. cIↃ IↃC XL.

Tuus omni affectu et officio
L. Crocius.

Inscriptio.
Nobili ac Florentissimo Domino Roderico Rozen, in cohorte Bataviana Celsissimi Principis Arausiensis pro tempore strenuè militanti, amico longè charissimo.

296

Clarissimo D. Combachio H. Alting Salutem à Domino.

Magnifice, reverende ac clarissime vir, ac Frater. Utri libenter parco occupationibus tuis, quæ cæterum in novo scholæ illustris ordinatione ac gubernatione tibi incumbunt, tamen hoc, quod flagitatur, amicitiæ officium negare aut omittere non potui; Est illud commendatio optimi Juvenis D. Johannis Laurentii Ottonis Palatini Lit. Studiosi, qui apud vos conditionem quærit. Venit ad me ab illustri Legato Camerario, à me porrò missus ad amplissimum Dn. Commissarium Hassiacum Walthen, qui in Frisia Orientali metatur, cujus liberis cum laude præfuit. Se amore studiorum perspendorum nunc ab iis discedit. Oro te per communem amicitiam nostram, ne desis præclaris ejusdem conatibus. Is est, qui spartam, quam nactus fuerit, curabit summa fideli industriâ et grati animi memoriam nunquam deponet, officia nunquam partietur desiderari. Sic vale et salve. Raptim 3. Julij 1640.

M. et R. T.
studiosissimus
H. Alting.

Inscriptio.
Magnifico, Reverendo et Clarissimo viro D. Joh. Combachio Illustris scholæ Bremensis Rectori et Theologo dignissimo
Bremam.